QUAESTIO PHYSICA

INAUGURALIS,

DE

S O M N O.

QUAESTIO PHYSICA

INAUGURALIS,

DE

QUAESTIO PHYSICA

INAUGURALIS,

DE

SOMNO;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GEORGII BAIRD, SS.T.P.

ACADEMIAE EDINBURGENAE PRAEFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI Consensu;

Et NOBILISSIMAE FACULTATIS MEDICAE Decreto;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini subjicit

THOMAS BROWN,

BRITANNUS,

Ad diem 12 Septemb. horâ locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBAT C. STEWART

ACADEMIAE TYPOGRAPHUS.

1803.

JACOBO GREGORY, M. D.

MEDIC. PRACT. IN ACAD. EDIN. PROF.

PARVULUM HOC

SED OBSERVANTIÆ SUMMÆ

MUNUSCULUM

ACCEPTUM VULT

AUCTOR.

Digitized by the Internet Archive
in 2020 with funding from
Wellcome Library

https://archive.org/details/b31967516

Non te cupreſſus, Somne! pigerrimum
Irrorat umbrâ, non tibi rivuli
Murmur ſuſurrantis quietem
Perpetui variat ſoporis.

Te deſidem!—O non!—Impiger, impiger,
Orbem peragras: irruit, at rotâ
Currus ſilenti. Quis recepit
Æthereos ſonitus equorum?

Hîc ſiſte, divis carior O deus,
Majorque! Quid ſi ſplendida Jupiter
Parcus negârit; jam tuum augent
Pauperem opes, ſolium, triumphi.

Vexone vates barbiton? Heu rudem
Fallit.—Remiſſâ ſolicito manu
Chordas reluctantes, deumque
Nunc tremulis precibus fatigo;

Nec Phœbus audit.—Tu melior vocem
Præbes Apollo, tu facilem lyram,
Et plectrum, in omni proditurum
Murmure cœlicolûm loquelas.

Eſt ipſa!---Non me dulcior arripit
Inſania.---Ipſa eſt!---ah mea, quis deus
Te, Chlori, te dat; nec protervam,
Suavia nunc et in æqua ſolvit?

Agnoſco numen! Somne potentior,
Sic uſque adeſto! Quid mihi cæterum
Vulgus deorum? Unus tu Olympi
Numina tu mihi mille reddis."

EX POEMAT. INCERT. AUCTOR.

CORRIGENDA.

P. 11. l. 18. *dele* ' nunquam, ' quod inferend. eſt in lin. ead. poſt ' autem. '

P. 16. l. 14. *pro* admirandum *lege* ad mirandum.

P. 17. l. 3. *dele* ne.

P. 19. l. 6. *pro* ſtmuli *lege* ſtimuli.

QUAESTIO PHYSICA

INAUGURALIS,

DE

SOMNO.

AUCTORE THOMA BROWN.

Natura quæ ſomnum hominibus dedit, non requiem modò, quâ, labore feſſi anxiique ſolicitudine, et curas et labores ſolverent, lenibuſque ex obliviis rerum ad vitæ dulciorem novitatem expergiſcerentur, ſed et in ipſâ quiete gaudia dedit haud minora, et novos caſus, et nunquam futura opera, et ſpes, et lætitias, et amores. Hoc uſi dono, fruimur non unâ vitâ. Jam naſcimur in alio mundo, ubi, inter tot diverſa, nulla ferè ſimilitudo, quæ orbem diurnum referat; fulget, ſed mitior, dulcior, et quaſi veſpertinus dies,

dies, vel obruitur nox tetrior altiore caligine; nec ut in hâc æquabili vitâ, uno eodemque tenore, qualis rivulus per campos longe patentes vix ſerpens et procul uſque viſus, hora fluit; ſed vortice ſubito, fluminis inſtar montani, per ſaxorum anguſtias, per præcipitia, per agros, per ſylvas, jam viſi, jam viſu elapſi, ruentis, quieſcentis, citòque poſt vix auditos murmurum ſuſurros ſummo rurſus cum fragore torquentis gurgitem, omnia undique ita colligit ac miſcet, ita magnificâ quâdam varietate et abundantiâ exundat, ut non hora modò, ſed ætas tota, et quidem plenior, videatur. Si uni tantùm aut alteri his mens circumfuſa eſſet erroribus, pro delirante ſomnioſus haberetur; ſed omnes quotidie ſimilis ludit inſania, et morbus ſingulorum fit omnium ſalus. At non ideo minus inquiſitione noſtrâ dignus eſt affectus, quòd et ipſi afficimur. Multo magis vereor, ne in re tam magna improbum videatur ſperare inquirendo perſpecturos, vitæ illius diſſimillimæ quæ ſit, et quam diſſimilis ratio.

Non

Non enim me fallit, difficillimam esse indagationem, ubi haud datur contemplari res ipsas, sed quas imagines ipsæ fugientes in memoriâ fugitivas liquerint. Quis autem somniator cogitat de natura somni, aliive pandit quæ in se mira sint orta? Anceps igitur fit et ardua quæstio, eòque magis anceps, quòd, incipientes quærere, jam credidimus, quasi omnibus ritè deprehensis, menti, seu vigili, seu sopitæ, easdem constare rationes. Nam qui de somno cogitans noctis præteritæ somnia indagat vigil est, atque ita fortasse falsa agnoscit, serie phantasmatum mutatâ. Redeunt enim hæc cogitanti, non planè eâdem quâ ratione somni disposita, sed illâ serie, quâ ratio haud scimus quin diversa instruxerit. An cùm caeteras facultates animi mutationes quasdam subiisse credidimus, sola reminiscendi immutata habebitur? Vel, mutatâ et hâc, licetne de caeteris facultatibus credere recordationi, quae nos vigiles falsa, ut varia, subierit? Premit hoc, onere insuperabili, omnem de somno quaestionem, relinquendum igitur,

tur, ut nimium, et dubiam redditurum, non vanis conatibus a defecturo quoque movendum; et sanè, etiam hâc relictâ, non absunt aliae, et quidem maximae difficultates. Ex somnio longissimo longissimae noctis vix pauculorum nec omnino reminiscimur. Ignoramus quae in corpore animum affecerint, aut quae simul, vel proximâ quâdam successione, orta fuerint, jam rursus animum ad novos motus excitatura. Perdifficile est igitur seriem naturamque nocturnae mentis affectuum expendere; sed aliquando in ipsis difficultatibus, modò sint non in materiâ asperâ, nec prorsus insuperabiles, gratia est quaedam et voluptas, quae laboranti ingenio ambitiosissimâ suavitate lenocinantur.

Jam blandus sopor dormituro oculos circumfluit; quiescit; diffugêre consilia et curæ, quæ per totum diem insederant animo; nec stupens, fertur rapidissimè per subita discrimina inusitatosque casus. Videtur sibi corpus, multa inter pericula, multis cum laboribus exercere; sed ne membrum

membrum quidem movet, nec plurimâ affusâ luce afficitur, nec audit ſonos qui mille circumſtrepunt. Quantæcunque igitur aliæ inter dormiſcendum factae ſint mutationes, eſt profectò, quâ impedito nexu ſolito animi et corporis, neque pars illa intima externis facilè reſpondet, neque illi volenti ſegniores muſculi. Scimus hanc in unoquoque mutationem, neſcimus qualem; nec mirum, cùm etiam in vigile tam ſubtiles ſint et ſenſus et voluntas, ut vel noſcentibus quae externa quos nervos attigerint, quibuſque nervis qui ſint obſecuti muſculi, in ipſis tamen nervis quæ facta ſint, ne minimè quidem liqueat. Videmus, ambulamus, audimus: quis autem dixerit affectum nervi vel cerebri, quo ſit ſenſus vel motus; nec de affectu, qualiſcunque ſit, dubitatur: ideoque neque de illo licet, qui in ſomno, conſtans nec obſcurior, efficit, ut cæteris praeeuntibus quæ antea, non ut antea vel ſenſus vel motus ſit futurus.

Haud

Haud certum fortaſſe videbitur, in corpore hæc facta ſit mutatio, an in animo, voluntate quæ ad motus neceſſaria eſt, et vi ſensûs internâ deficientibus; multo tamen veriſimilius in corpore. Nam cùm ſenſui et motui voluntario idem ſit fons ſenſorium commune, quæque ab ea producitur medulla, et cùm ſimul in dormiſcente hebeſcant vires, ſimul in expergefacto exacuentur, credibile eſt quod alterutram impedierit impediiſſe utramque. At certiſſimè in corpore impeditur motus, cùm ſomnianti haud minus ſit movendi membra deſiderium, ut illa minimè reſponderint deſiderio; ideoque de ſenſu licèt haud æquè liqueat, prope tamen eſt ad verum in illo quoque vim internam, haud imminutam, inanem tantum langueſcere alienâ mutatione.

Impedito ita hoc duplice nexu, quærendum eſt, ſi quid aliud in dormiente diverſum. Et reverà nulla vis ipſius animi omnino torpet. Vivit, vigetque memoria, quæ, perceptorum tenax, revocat phantaſmata, et cum novâ ac breviore

vitâ

vitâ dat inanibus circumludere. Viget intelligentia, bonorum malorumque ſciens, perpendit, dignoſcit, eligit, abnuit, citiùs tamen et perperam ut fugaciora; gaudet vel mœret præteritis, de futuris ſperat aut timet, interdum, ſed rariùs, ut in præſentibus tam variis et operoſis. Viget illa vis imaginatrix alacrior, quæ non reducit modò inſtructas phantaſmatum catervas, ſed novis ſub formis, novâ ſocietate, disjungens, jungens, omnia quaſi altera et diſſimilia exhibet. Quis non aliquando ſermones uberrimos per quietem audierit vel legerit? Quis non ipſe ſummâ cum facundiâ orator? Nulla denique eſt facultas ipſius animi, quæ ſopito in corpore quieſcit, nulla, qualiſcunque ſit ſomni natura, quæ adeo mutatur, ut vis ejus, eâdem ſegnitie quâ membra, jaceret omninò et altiſſimè merſa.

At vix unquam per longas ratiocinationes idem argumentum ſomniantes perſequimur: facimus ſæpe præcipites et impavidi, quæ vigiles non auſi ſumus facere, vel non fieri poſſe credidimus;

dimus; nec miramur fecisse. Nonne igitur, etiamsi haud ulla vis animi torpuerit, vigentis tamen cum protervitate tam diversà a vigilis cunctatione et curis, quædam est etiam ipsius diversitas.

Et profectò esse quandam diversitatem properè et cursim intuenti verius videtur; neque sanè potest absolutè monstrari non esse, cum ne hoc quidem in vigilante animo, qui per diem, insomnis, sed intentus variè, languescit negotio, otio reficitur. Satis tamen est monstratum pauciores esse cum animo nexus sopito corpori, neque ad arbitrium ejus mobili, neque præbenti quod sentiatur. Alias præter hanc mutationes alii opinantur, hanc unam omnes; quâ unâ factâ, in ipso quoque animo videantur quaedam necesse est: sin quaedam, fortè omnes quae videntur. Neque fas est, si omnia quae observata fuerint discrimina non potuerint non fieri hâc certâ factâ mutatione, alias, incertas et inanes,

nes, fallace qâdam divinatione, ſolenniter pro cauſis exiſtentibus oſtentare.

Habendum eſt itaque hoc duplex intereſſe inter dormientem et experrectum: illi nimirum volenti aut * nequaquam aut ægrè obſequuntur aſſueti muſculi, et vis ſenſuum adeo hebet, ut quæ externa undique circumfluunt, niſi cum impetu irruerint, inani recedant undâ. Sed,

B externis

* De perfecto ſomno hìc agitur; qui ſæpe imperfectus et variè. Sunt enim qui muſculorum, plurium pauciorum, compotes, ſed parùm ſentientes, multùm ſe in lecto volutant, multa ſubmurmurant, ſurgunt etiam interdum, ambulant, vigilantium officiis plurimis, et quidem plurimo cum labore, funguntur. Nec in omnibus æquè imminuitur ſenſus. Sunt qui leviore ſomno facilique ſolutu vix alligati, multa percipiunt, quæ alii nequaquam: et credibile eſt, ut in muſculis diverſis, ita in diverſis ſenſibus fieri; non omnes pariter ſopitos, ſed in quibuſdam ſupereſſe vim multam, in cæteris penitus extinctam.

externis haud perceptis, non pereunt jam ante perceptorum imagines, quæ in animo tenuiores latuerint. Manent; ſubeuntque, non in illa luce caliginosâ et dubiâ, quâ interdiu recordantes, ſed viſæ in clarâ et quaſi diurnâ perceptorum, pro perceptis ipſæ habentur. Fallit enim nos mentis dubia ſed conſtans ratio, quâ fit, ut ex omnibus imaginibus quas vel ſenſu perceperimus vel memoriâ, illi, ut extra nos revera exiſtenti, crederetur, quæ vel ſola obverſata ſit vel vividior. Vividior autem rariſſimè quam memoriâ; ſed interdum et hæc, cùm æſtuans animus affectu vehementi præſentia non ſentit, abſentia, facilè quidem revocandus ad veriora, nec minùs tamen ludente brevi hallucinatione, videt, audit, amplectitur. At non brevis eſt dormienti hallucinatio; ludit forſan per totam noctem irretitum, excluſis quæ ſolverent verioribus. Omnibus enim imaginibus omnes ſemper darent fidem, niſi adeſſent magis vividæ; ideoque, cùm, ſenſu quieſcente, nullae magis vividæ ſimul perceptæ ſint extrinſecus, creduntur extra nos præſentes,

quæ

quæ obſcuriores, at ſolæ, inter ſomniandum obverſantur.

Obverſantur autem, non ſponte, nec caſu, ſed ex immutabili ipſius animi ratione, illâ nimirum, quæ, ſpecierum caſu receptarum turbam inconditam inſtruens, aliis dat alias ordinatâ ſerie conſequi. Sed non eſt ordo, quali opus eſt in ratiocinatione, idem ſpeciebus qui vicibus externarum rerum, vel ut ipſis naturâ ſimilibus; cùm plures nexu vario et leviore, promiſcuæ at certæ, diſſimiles diſſimilibus, immo ſæpe arctiùs diſſimilitudine ipsâ conſocientur. Multum inde moleſtiæ oritur, etiam inter ſtudia diurna, cogitanti altiùs de natura cujuſlibet rei; nam haec una res, pro diverſis memoriae rationibus, alias ſubjicit ſubjecturas et alias, quae forſan omnes nullam cognationem cum eâ priore habent, niſi quòd ita nunquam ſubjectæ. Cùm autem non vigeat memoria, aſſiduèque vices iſtae diſſimilium peragantur, videtur vix fieri poſſe, ut eadem res ab eodem animo longâ cogitatione expenderetur;

nec

nec potuisset, nisi subsidium in sensu. Multa enim undique externa auditum, visum, tactum, solicitant, quae, licèt parùm conSciis ut assuetis, percipiuntur tamen, et percepta, ne fallant nos specie verorum memoriae phantasmata, ipsa vera efficiunt. In hoc quoque plurimùm valent, quòd de re qualicunque cogitaretur, arctiùs cum eâ ut recentiùs consociata, revocant saepe longiùs abductum animum, et quidem ejusdem ratione memoriae quae abduxerat. Itaque ferè nemo est, qui instructus ad scribendum non intentius meditatur, stylo ipso et pugillaribus ab errore revocatus. Atqui impedit sanè perceptio externorum, ne velociùs fiant quae in animo, ut in corpore ne celerior sit gressus implicatio particularum quae inter sese contingunt; utraque tamen utilissima, sine quâ videretur non posse velle: nam sine hâc, per lubricissima omnia ferretur corpus velut machina, continuo et indeflexo lapsu; sine illâ, animus, huc illuc improvide raptus, atque inter cuncta fluitantia nihil diu cupiens, aut cogitans, speciem haberet haudquaquam

quam cupientis aut cogitantis. Quam multi musculi, quam alacriter, fingunt se ad arbitrium saltatricis; flectit illa faciles ad omnes varietates volitantis numeri; est totum in obsequendo corpus. Sed neque eximius qui gressus ejus subsequitur decor, neque ipsa, ut ita dicam, voluntas, immo revera non species voluntatis, a se tantùm suâque peritiâ est. Insignis quidem hæc, sed dat insignem ostentare illa vix percepta asperitas soli, quæ gressus ejus et retardat et dirigit, frustra peritæ, fallente omni vestigio, si illud minùs asperum. Similiter facit externorum obscura perceptio; non dat enim cogitanti velle, sed dat videri voluisse, dum per læviora labentem animum ad unam voluntatem reducit. Ad hoc opus est perceptione parùm vividâ, nam, si multùm, a re meditatâ æquè divertent animum, quæ dissimillimæ perceptæ sensu, ac quae dissimillimae memoriâ. Inde est quòd optimè studet unusquisque, inter assueta ac sua, vacaturus minimè, si nunc primùm sedet in bibliothecâ instructissimâ, vel elegantiore musæo: eximia enim et nova

non

non implent oculos, ſed avocant, meditanti mora magis quam ſubſidium; ut ſi quæ ſaltatrix non in pavimento lævi, ſed per crebriorem ceſpitem duxerit choream, aſperior eſt e gramine renixus, qui, ægrè laboranti pedi moleſtus, non firmat greſſus, ut ſi mollior, ſed impedit.

Neque mirandum eſt, non ſemper quemque ſomniari excluſo lumine, cùm, etſi torpuerit oculorum vegetiſſima vis, haud minus vigeat tactus ſedenti aut recubanti, vigeat in omni muſculo ſenſus alacer, commoniturus qui ſumus et ubi. Inde fit, ut etiam in tenebris vigilantem non ſæpius fallant phantaſmata memoriæ, fallant autem, ſi aliquando, tum maximè; ut in multis exemplum eſt miſerè religioſis, qui ſub luce ad cuncta pericula impavidi, nec credentes fore poſſe prodigia jam citò ſubitura, exhorreſcunt in tenebris lemures, atque voces inanes, atque cætera illa omnia ludibria noctis, totam ſed inviam mentem, quaſi ſomnio aliquo horribili ac divino perculſi.

Eſt

Eſt igitur in impedito ſenſu, quo et mens intima videretur mutata, ſcilicet ut nec longam perſequeretur ratiocinationem, nec eadem diu cum iiſdem conferret, ubi fugaciſſima ſunt ipſa conferenda. Volitant enim phantaſmata, et nos volitantes cum illis nihil eſt quod ad præterita revocet; cum rerum cognatarum nulla ſit præcipua in memoriâ ratio, ſed diverſa diverſis ſæpius inſtent. Similiora ſiquando et continua, ut in fabulâ, ſecuta ſint, magis ſubiti ſunt caſus, quam quibus opus ſit ratiocinatione. Videmur abripi in vincula; horremus fœdiſſimas tenebras; deſideramus libertatem; jamque liberi per aëra per lucem tranſvolavimus carcer, et gaudentes obliviſcimur relicti. Sed eſt deliberandum! Quaſi non ſerum evaſis de evadendo deliberare; nec potuimus non evadere, cum in ſpe vel deſiderio libertatis ſit ipſa libertas: nimirum illuceſcit imago ejus, et imago dormienti res eſt vera et præſens. Evaſiſſe modis tam inſolitis et parum congruentibus naturæ noſtræ, quod nos vigiles ſuſpendiſſet ſtupore, interdum miramur,

miramur, ſed rariùs ; non quia non æquè vigeat mens quæ congrua annectat, ſed quia non vacat annectendo ; neque enim verſantur cauſæ et qualitates rerum, ſine quibus nulla diſparum miratio, ſed aliæ et magis vividæ imagines, et quæ arctiùs cum prioribus conſociatæ prævertunt ſenſum diſparitatis. Volamus per undas impavido pede ; ſed auditur quæ miſerrima ejulat, vel ſtat quam ardemus in adverſâ ripâ puella, illecebrâsque dulciores ſubridens tendit dulciſſima allectantes manus. Vigilibus ſi quiddam inſolitum fiat, fit tardè ; manent omnia in conſpectu diutius, atque, licèt ipſo momento non miratos, vocant iterum admirandum: ſomnianti verò ſi tale quiddam, ipſo momento evanuerint omnia, nunquam itaque admiranda niſi ſtatim, et ne ſtatim, fuerint moræ, quæcunque nova occurſaverint alioquin miraturo. Et ſanè vigiles, miriſſimo quodam facto, non illicò ſentimus quòd mirum ; eſt enim in medio aliquid ſenſûs vel potius ſtuporis ; attoniti primùm, deinde inſolita miramur, ſuccurrentibus quæ ſolita ; quæ ſi minus ſuc-

currerint

currerint, ut credibilius inter tot tam instantissimè secuta discrimina, nil fecerit ille stupor, quin proferrent se imagines diversæ, et ne minimè affines eis quibus opus esset ad mirandum. Ipse tamen stupor inter subita noctis miracula haud infrequens. Rapimur, a quo, in quæ, nescientes, per nubes, per procellas, totâ tempestate fremente, fulgurante, tonante, circùm; ruimus per æstus verticosi fluminis, audimus altissimè suprà collidentes fluctus, torquemur cum ipso gurgite, et, quasi in nobis quoque omnibus verticosis, non stupore modò, sed sensu aliquo inquieto et amente stuporis, afficimur; qui, si non sit miratio, est mirationi proximus, et ferè major.

Videtur igitur non ideo in mente dormientis fingendas esse mutationes, quòd non diu circa eadem hæserit, nec semper obstupuerit insolitis et miris; aliter enim esse vix posset, sensu non patente. Sed neque credendum est, somniari omnes, quibuscunque species ab externis rebus adeo tenuiores quam ex memoria phantasmata,

ut præ illis negligerentur. Hæc enim adhibita fides inanibus, frequens inſanientibus, neque aliis vigilibus prorſus inaſſueta, non eſt ſomnus, ſed oritur e ſomno; oritur interdum quoque, corpore non ſopito, immo ſæpe prævertit ſoporem, quæ mutatio non fit, dum manet corpus vegetum et alacre. Manet autem corpus diutius vegetum, quando vel ſtimulis externis admotis, vel hilaritate mentis aut ſolicitudine excitatur. Facillimè ita rejicitur, quod fortaſſe viſum eſſet quibuſdam premere hoc de ſomno argumentum, ſcilicet ut, ſi verum argumentum, futurum eſſet quod non eſt; cùm mens non ſit propior ſomno, quò intentiùs ſuis ſit aſtricta cogitationibus, ſed vegetior contrà, et ad ſomnum tardior, quò magis hilari ex memoria magis vividæ ortæ ſint imagines, vel ſi externarum rerum vix conſcia totam ſe tradiderit altioribus conſiliis. Ad hoc reſpondere licet, non eſſe ſomnum in prævalentibus internis, ſed interna prævalere in ſomno; in corpore hunc non in mente; atque, ne facta eſſet, in corpore mutatio ſine quâ non dormitur, impediiſſe, quippe ſtimulos

los admoventem lapſuro, ipſam iſtam vivacitatem internam, quæ objicitur ut ſoporem neceſſariè adjuvans. Dormitant ita infantes facillimè, non quia multum fuerit illis internæ cogitationis, ſed quòd nihil. Sublatis lusûs et ſenſilium, nulli illis ſunt intùs ſtmuli, qui concitent tardeſcens corpus. Tardeſcit itaque magis, et dulci in languore lapſum, jam cæpit obdormire.

At qui dormit non uſque ſomniatur! Uſque forſan, ut nihil ex ſomniis experrecto in memoriam redierit. Credibilius tamen, non uſque; neque ideo mutatum aliquid in viribus animi. Eſt adhuc vis conferendi, eſt quæ deſideret, velit, eligat, nequicquam, niſi adeſſent conferenda: abſunt hæc autem ſæpius dormienti, non quaſi mutato animo, qui vel ſpecies vel phantaſmata perciperet, ſed mutatis, quæ darent percipiendas. Ineptiſſimum eſt dicere, talem animi inanitatem cum eſſentiâ ejus nullo modo congruere; de eſſentia enim animi nihil ſcimus: ſcimus tantùm eſſe qui percipit ſpecies, modò influxerint,

phantaſmata

phantaſmata, modò ſint ſubjecta, non autem eſſe, qui neceſſariè, omnino, uſque, vel perciperet, vel reminiſceretur, etiam cùm nihil eſſet a quo ſpecies influxiſſent extrinſecus, nihil intus quod conſociatum ſubjeciſſet phantaſma. Neque ſanè cum eſſentiâ, qualiſcunque ſit, poteſt non ſatis congruere inanitas, quæ prima fuit et ingenita animo, non dum ſentiebat nato verum ad ſentiendum, et inſtructo jam multa ac magna facturis viribus, quas inexpertus neſciebat. Manet vis eadem auribus, etiamſi nihil tremuerit circum; manent quoque animo vires eædem, etiamſi nullae adfuerint imagines in quibus verſarentur; proferunt enim ſe et oſtendunt in imaginibus vires, non in viribus imagines; neque oriuntur haec ſponte, neque ab ipsâ naturâ mentis quæ conſtans, ſed vel a rebus externis, quæ exclusæ nonnunquam abſunt, vel a ſpecie aut phantaſmate priore nullam alteram ſuggerente niſi conſociatam. Poterit ergo fieri, etiamſi ſpecies externæ abeſſent, ut longiſſima produceretur ſeries imaginum conſociatâ conſo-

ciatam

ciatam uſque ſuggerente; poterit quoque, ut vix breviſſima, nullum habente ultimâ cum alterâ futurâ nexum, vel nexum debiliorem quam qui alteram proferat, vel abruptum repentino aliquo et unico corporis dolore, aliove brevi impetu in ſenſum, qui, aut ipſe cum aliis imaginibus conſociatus novam inducat ſeriem, aut, tantùm abrumpens priorem, det menti longâ feriari quiete. Vires tamen, quieſcentes licèt non mutantur, citò forſan iterum, ſerie novâ imaginum a novo dolore ortâ, exercendæ operoſiores. Multiplicem inde profert ſe ſomnus, cum poſſit fieri, ut vel una imaginum ſeries inter dormiſcendum orta experrecto vix evanuiſſet; vel ſopito dilaberetur repente, neque eadem neque alia rediret; vel diverſæ, variis intervallis, involantes, breviùs longiùs luderent avolaturæ. Quædam fiunt, ita explicatu facillima, difficillima illis qui ſeriem imaginum credunt nunquam abruptam; ſcilicet ut ſolutis complexu ſomni arctiore nihil ſæpe tota retulerit nox, quippe eis ex una tantùm ſerie pauciora quæ referrentur,

tur, et abruptæ ſemel difficilior nexus, cùm, magis impedito ſenſu, multum moleſtiæ in corpore oriri potuerit inconſciis, quod minùs altè dormientibus induxiſſet novas imagines. Quò magis orta fuerit, ex onuſto ſtomacho, impedito ſanguine, aliâve ægritudine, moleſtia, eò ſæpius redeunt experrectis imagines, quippe ex pluribus ſeriebus *, alterâ ſemper alteri abruptæ annexâ;

* Magnum aliquid et inuſitatum multo mane facturi, primo ſæpe diluculo, quaſi ſponte, expergiſcimur; explicatu quidem parùm facile, facilius tamen ſi in hanc eatur ſententiam de ſomnio intermiſſo, iterumque ſuſcepto inter renaſcendum ſenſum. Hic enim, ſopore, vel arctiſſimo, haud omnino devinctus, impeditur minùs quò laxiore; laxiorque uſque evadit ſopor quò longior. Plurima itaque manè ſomniamur, quippe citiùs altera alteris annexa, ubi ſentiuntur multa externa, quæ breviore ſomno vix aliquid refectos nequaquam attigiſſent. Lux oriens, quæ per vela cubiculi et lecti tenuis et tremula ſurrepit, matutina murmura, quæ, parùm ſimilia futuro, inſtantem diei turbinem vix prænunciant, laſſitudo

annexâ : non ſæpius autem redirent, niſi plures, nec eſſent plures, ſi æquè et ſano et ægro continuæ. Quod vigilantibus æquè, nihil refert,

tudo quoque ipſa artuum, ſine motu ut in devinctis compoſitorum, ſenſum nunc minùs ſopitum contingunt, ſed haud ferè aliquantulum, atque adhuc inter ſomnia, nec obſtant quò minùs producatur quies ; quam tamen facilè expedirent, ſi, cum ipſis conſociata, imago quælibet validior revireſcenti adeſſet. Adeſt autem validiſſima ; nam qui in nocturno ſtrato compoſitus magnum aliquid luce proximâ expectat, vix fieri poteſt, quin hoc quicquid plurimùm reputet. Dirum eſto, lætum, triſte, imago hujus ſæpe, atque ſimul, dum tempus quoque reputat, imagines multæ matutinæ verſantur : nec minùs inſerit ſe ſubinde his conjunctis obſcurus quidem ſed tamen ſenſus jacentis corporis, moleſtiæque in muſculis, motus nunc, iterumque novos, deſiderantibus. Imagines iſtae omnes nexu, brevi reverà, ſed, cùm in mente ſaepe arctior ſit qui recentior, arctiſſimo, adeo conſociantur, ut quae, viſu, auditu, tactu, in ipſis denique muſculis, vix percepta, dormientem adhuc alio mane nequaquam aut parùm ſuſcitâſſent, repentinam nunc proferant et vivam

ſert, quoniam vigilantibus non ſeries eſt ſolorum phantaſmatum, ſed uſque adſunt ſpecies, uſque adeſt aptus ad percipiendas ſenſus. Credibilius

vivam negotii vel oblectamenti imaginem, ad quam, velut ad ictum aut clamorem, experrectus ſubſilit. Non omnibus æquè eſt quaſi in arbitrio ita expergiſci, ſed, quod opinioni noſtræ valde conſentaneum, illis præcipuè, qui, ex naturâ ſuâ et more proprio, minùs altè ſemper dormierint. Pendent enim incitamenta imaginum ab incipiente ſenſu, qui verò ſi multùm impediatur, nullæ matutinæ aderint ſpecies, nulla in muſculis percipietur moleſtia. Neque aliâ fortè causâ, apud multas gentes invaluit de re fallaciſſimâ proverbium, *matutina ſomnia veriora*, quam quòd ita ſæpius iſtæ fallaciæ heſterna, futuris et jam inſtantibus maximè congrua, retulerint, non omnia quidem facta vel cogitata, at ſaltem illa quæ nocte, a ſperantibus forſan aut timentibus, in lecto ſolicitiùs præcogitabantur. Revireſcit enim manè in muſculis et cute ſenſus; ſimiliter hic ferè ac in dormituri jacentibus membris afficitur; ideoque imagines, ſi quæ ſæpius in mente dormituri ſimul verſatæ, reviveſcunt nunc quoque ſimul,

dibilius eſt igitur ſano altius dormienti ſæpe eſſe mentem inanem imaginum, neque ideo minus vigere; quandoquidem vegetiſſimæ non eſt vis ulla quæ imagines, neque influentes ex-

ſimul, et quaſi veris dant frui, dant perpeti, quæ ſpe tantùm aut metu præſumpſerat vigilans.

Ut ſæpe igitur, quaſi volentes, excuteremus ſomnum, videtur quidem efficere poſse imago quæcunque vivida matutinas ſpecies obſcuras et ſolitas conſecuta ſit. Hæc verò cauſa non ſola adeſt. Senſus quoque ipſe minùs ſolito languet, concitatus, dum langueſcebat, ſpe et præſumptione inſtantis boni, atque etiam inter dormiendum parùm ſoporatus. Somnus ergo non gravis, nec qualis premit multo vino vel labore defeſſos, ſed levis, et volucer, et qualis, poſt paululum vini vel conventiculi lætioris feſtivitates, hilares adhuc et ſolutos circumvolat non incubat. Minimè igitur mirandum eſt, expergiſci vel primo diluculo, quos ſperatum aliquid novum et magnum ſub diluculum manet, cum ſpeciebus matutinis ſolitis lætiſſima ſe inſeruerit imago, atque illas, etiam tenuiores, in mentem ſenſus promptior et facilior intromiſerit.

trinſecus neque proximo et jam evaneſcente phantaſmate conſociatas, vel caſu excutiat, vel ſponte fingat. Non totæ ſunt in agendo vires: manent, peractis omnibus, iterum, ſed in exiſtentibus, exercendæ. Eſt uſque, dum nullum diſcrimen, facultas ſed inanis conferendi, eſt volendi, dum nulla voluntas; ideoque perinde omnes omnium vires, modò nulla adrepſerit imago, latere poſſunt quieſcentes ſed eædem.

Verum ergo ſit dormientem non uſque ſomniari, ſomniantem pauciora et parciùs evolvere, inſolita ſæpius haudquaquam mirari; non ideo ad verum propius eſt, mutatum eſſe aliquid dormiſcenti in animo. Intelligetur tamen hoc forſan meliùs, ſi, omiſſâ pauliſper quæſtionis ratione, finxerimus cum viribus ſenſus et motus impeditis, cæteras omnes viguiſſe; nam, ſi ſic omnia viderentur eadem, quæ in ſomno, inane eſſet admodum perquirere alias in ſomno mutationes, quam quæ indagantibus ſtatim obviæ apparent. Et ſanè menti ab externis ita excluſæ,

multa

multa et varia, pro varia memoriæ ratione, occurſabunt phantaſmata; non tamen ut phantaſmata præteritarum et inanium ſpecierum imagines, quaſi ipſæ externorum ſpecies percipientur. Hæc animus ut vera credulus conferet, hæc dignoſcet, ſed cuncta parum congrua, turbata, ſoluta, ſomnio ſimiliora, immo ſomnium ipſum. Multa deſiderabit, multa volet, ſed cum voluntate tam brevi, in breviſſimo deſiderio, ut vix ulla videbitur; cùm deſiderantem non circumvolaverit imago boni, ad plurima conſilia, plurimos et conſtantes auſus plurimas et ſimiles operas, decedentem iterum et ſæpius excitatura; verùm, cui conſilia auſus operæ inutiles, ipſum occurſaverit bonum, inane quidem, ſed haud impar inani deſiderio. An ille de obſcurâ quâlibet et evaneſcente imagine multùm erit cogitaturus, circa quem jam aliæ volitant fulgentes; ille multùm de omni modo evadendi pericula præteriti caſus, qui, jam raptus in nova diſcrimina, novis implicatur periculis? Non ſanè, etiamſi libuiſſet ita cogitare, vacaret. Cogitanti enim rediret caſus,

non

non ut imago perſpicienda lentiùs, ſed verè imminens et præſens, et totum implens animum, ſtupore, formidine, omni priore affectu. Quid ſi etiam vigili, agitanti aliquid in alto et ſuo ſeceſſu inter ſecreta omnia et otioſa, irruerint ſubito formæ multæ et mirificæ, atque, una et continua ſed varia pompa, claræ, obſcuræ, triſtes, laetae, fluitarent praeter oculos, oculiſne ille quieſcentibus, et ſecurâ mente, idem eſſet uſque et imperturbatè cogitaturus? Vel ſi, oblitus ejus, oblitus omnium priorum, neque attonitus novis, ſingulas tranſeuntes formas, accuratiſſimè dum celerrimè, perſpexerit, illane perſpicientia una videbitur et congruens, quae, non ſimilitudinum ſed temporis rationem ſecuta, formarum fuerit haudquaquam vel minimè congruentium? Quantò verò minùs hoc credibile, ſi non quieſcenti modo involitaverint avolaturæ formæ, ſed abreptus cum illis, futurorum neſcius, cuncta timens, irruerit per diras varietates caſuum, et ſpectator ipſe et actor! Non ille quidem multum cogitaverit, etamſi ei mentis viguiſſent faculta-

tes

tes omnes; non ille veri falſi, paris imparis, congruentis diſcrepantis, acer et perſpicax æſtimator. At ſimiliter formæ iſtæ mirificæ dormientem circumvolant; ſimiliter et ipſe in caſus et pericula abripitur. Nihil eſt igitur cur facile crederemus aliter quicquam in ſomno futurum quam planè obſervatum eſt, etiamſi reverà mens integra obdormiscenti vigeret.

Non ſola quies habet ludibria. Somniamur ſæpe vigiles, ubi, ſpe lætiore fallente, per pulcherrima et nunquam futura creduli vagamur. Splendidior ibi lux phantaſmatibus effulget; at non ideo tamen creditur hebuiſſe animi aciem, nec quantulamcunque ſubiiſſe mutationem. Cùm autem inter hæc vigilantis et dormientis ſomnia nihil interſit, niſi quòd breviùs in illo ludant, quippe uſque et ſolitis externarum rerum ſtimulis et motibus ſuis inanibus revocabili ad ſenſum veriorem, non æquum eſt, niſi in utroque, fingere in ipſa mente mutationes, quæ, ſi in illo abſuerint, in hoc quoque neceſſe eſt.

Neque

Neque verò in utroque fas eſt mutationes iſtas fingere: ſed neque latet difficile perſpectu, quid ad fingendas allexerit. Etenim mirati imaginum in ſomno turbam, diſſimilium, et rapidiſſimè pereuntium, rapidiſſimè novatarum, obliviſcimur conſiliorum, quæ, varia et nova, inter eas varias et novas, vix in tot vicibus peragebantur. Omnia igitur caſu facta credimus, nihil voluntate; et, ſi nihil voluntate, neceſſe eſt vis illa animi, quâ fit voluntas, cum corpore obdormierit. Atqui eſt in ſomno voluntas, ſunt conſilia, multa incepta, quædam peracta, omnia denique qualia inter curas diurnas, ſed omnia, ut in levibus, diſparibus, turbatis, levia, diſparia, turbata.

Cavendum eſt, in corpore quoque, ne temerè credamus quicquid aliud, ut ſomnus fiat, mutari. Videntur quidem aliquando multa, in ſpiritu, ſanguine, omni demum vitæ munere. At e ſomno hæc, nec ſemper, oriuntur, non ipſa ſomnum faciunt. Neque enim adſunt futuri

turi manifestè prænuncia, neque simul aut protinus instant, sed vel præcedunt, vel comitantur, vel propiùs, vel longiùs, vel usque absunt, pro imaginum variatâ aut extinctâ luce. Semper quodammodò, utcunque remisso nexu, plùs minùs corpus ab animo afficitur, qui sospitat viventi, quam afflaverat nascituro vitam, atque variam prout ipse mutabilis. Nonne sæpissimè, quoties hilaritati soluta mens et libera vacat, salit cor sanguine leviore, exultat omne membrum, quasi conscium et particeps lætitiæ; quâ si minus perfunderentur, languerent membra segnia, gravaretur cor, haud facilè par moli pigerrimi sanguinis? Non eadem igitur omnes in corpore sopito observârunt; quippe reverâ non eadem inter somnum omni horâ et in omnibus versantur, dum in animo varii affectus, aut demum nulli. A pluribus tamen et sæpius observatum, tardescere quæ motu, minui quæ quantitate gaudent; sanguinem nimirum et spiritus lentiores, famem nullam neque experrecto subitam, calorem parciùs effusum, multaque se ex

sanguine

ſanguine difficiliùs ſecernentia. Opinati ſunt itaque plurimi, mutationes, quibus hæc fiunt, eſſe ſomni et quidem talem partem, quali non exiſtente nec ſomnus ipſe eſt. Et profectò ſæpius fiunt quæ ab eis proferuntur obſervata: verùm non ideo magis neceſſe eſt, aliam, quaſi partem ſomni, haberi mutationem, praeter duplicem quae confeſtim apparet. Sanguis enim, qui mobiliſſimus citatur in omni corporis motu, omni ferè ſenſu, multis intimi animi affectibus, vix poſſet non pigreſcere, quieſcente toto corpore, obſcurato omni ſenſu, ſerie denique internâ imaginum, ideoque affectu omni, ſæpiſſime deficiente. Pigro verò ſanguine, lenti et ſpiritus; lentiores etiam, quòd nihil amplius moleſtiæ ex remorato halitu, ideoque nec deſiderii novorum halituum, quos dum ſitiunt vigilantes, miniſtraturos motus quodammodò volunt. Calor inde parciùs, neque tanta quælibet ſecreta, ex liquore cordis tardiùs advecto, minúſque acri de languidulo pulmone. Ad hoc, nonnihil eſt, quòd dormiens recumbit; quippe quo

fit,

fit, ut plus ſanguinis, et cui cerebrum vix par prementi, pro ratâ portione ad caput fluat, ad viſcera inferiora perinde minus. Nec mirum, ſopito omni ſenſu, nullam eſſe famem. Cibus quoque ipſe, in ſuccis exiguè, ut cæteris cunctis, effuſis, difficilius ſolvitur. Longior hinc, etiam in experrecto, fami mora, multò verò magis e vi conſuetudinis, quæ ſenſim et occultè ſed conſtanter facit, ut novæ moleſtiæ e novo naſcantur deſiderio, pereant quæcunque e vetere priores. Atqui cibo antelucano, vel quam proximè matutino, nemo niſi lactens aſſuevit; lactentes autem, quaſi ipsâ fame excitati, quo verius videtur et cæteri perinde omnes manè ſtaſtim niſi deſuefacti eſurirent, mammam petunt multo cum vagitu, ſatiati facilè redormiunt. Non tamen quòd in corpore ſoporato non ſit quiddam diverſi. Eſt ſanè quod impedit, ne vix aliquid ſentiatur, aut ſponte agatur in membris. Cætera verò cuncta a quiete, recubitu, defectu ſæpe imaginum, facilè cadunt; nec caſura forſan, ſi ſomnus operoſior per caſus

perpetuos totâ nocte produceretur, fuscitato tantò magis a vivis imaginibus fanguine, quantò minùs a mufculis inertibus impulfo.

Ne altiùs igitur quæratur natura fomni, neve credatur a mutatione tam fimplice, uno fcilicet et tenuiffimo fonte, non poffe profluere tantas et tam multas diverfitates. Omnia in mundo ab omnibus pendent; et quidem in hoc univerfo fiderum orbe, ubi mille novos foles reperiiffe ne uni homini vix imputatur, fublato vel minimo, et qui, a noftro disjunctiffimus, indefeffum fuum lumen, feris tantum nepotum feculis perfpiciendum, mille millia annos per immenfum inane fulminaverit, ruerent cæteri fortaffe cuncti innumerabiles foles cum fragore totius naturæ pereuntis, ruerent foluti in chaos, verum quidem, fed æftuofius et immanius, quam quod unquam infanienti ingenio illud vetus datum effinxiffe. Quæ maxima, quæ minima, mole dignofcimus, non vi; et profectò fiunt in minimis ferè maximorum mutationes, cùm ne minimâ parti-

cula

cula cæteris non trahatur, cæteras non trahat: proinde, licèt sæpius nimio desiderio simplicitatis aberraverimus a vero, cavendum est tamen, ne interdum quoque, in vero ipso ipsa simplicitas sit nobis malè suspecta. Multùm hoc vereor, in hâc de somno quaestione, deceptus forsan ipse, dum pauciores causas nimis solicitè quaesierim. At certè plurium nulla video indicia, atque ita fidentior credo, habendum esse somnum *mutationem, quâ factâ in corpore vel saltem in nexu corporis et animi, impeditis sensu et motu voluntario, proferunt se phantasmata ex memoriâ ut veræ præsentium species; viribus ipsius animi nullo modo imminutis, sed, in insolitis, et brevibus, et minus congruentibus, rariùs, et breviùs, et minùs congruenter exercitis.*

FINIS.

EX TYPOGRAPHEO ACADEMICO.